Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 463
Quelle:
Copyright:

patrium qui primus ad Istrum
Duxit laurigeras ex Helicone Deas,

et eadem cum Archiepiscopo avunculo calamitate involutus decessit ante diem a. 1472. Praefationem ipsam hic infero, cum illius pariter neminem meminisse videam.

Libros magni Basilii adversus Eunomium, quibus divinitas sanctissimae trinitatis defenditur, a graeca in latinam nobis linguam traductos, dignissime Pater, Joannis Archiepiscopi strigoniensis nomini dedicavimus. Eunomius enim platonicos secutus negabat Filium et Spiritum sanctum ejusdem esse cum Patre divinitatis. Huic rei cum Valens imperator ab eunomianis corruptus maxime faveret, tandem pronuntiata jam pridem a trecentis decem et octo patribus nicenis sententia commoti dissimulantes eunomiani non adeo de filio contendere ad deponendam spiritus sancti aequalitatem cum patre ac filio acrius insurrexerunt, sperantes, hoc sibi dato facilius postea filium quoque Dei a dextris patris disturbaturos. Sed magnus Basilius, qui cognomen magni non nobilitate, nec divitiis, nec armis, sed virtute ac ecclesia defendenda consecutus est, librum ad Amphilochium Iconii episcopum edidit. In quo triginta capitibus omnium eunomianorum versutias pestilentemque christianis calliditatem patefecit, protulit, radicitusque euulsit. Spiritum enim sanctum auctoritate scripturarum, scriptis patrum, traditione totius ecclesiae atque fide ab Apostolis orta, recepta, confirmataque consuetudine prisca omnium christianorum aequalem patri ac filio sicut ejusdem naturae, sic easdem semper habuisse glorificationes ostendit. Hunc librum, prout parte aliqua in officio tibi respondeamus, dignationi tuae offerimus. Nam cum ipse sciam, te religione, vita, prudentia caeteros nostra aetate praeire episcopos, nec me lateat, omni te in litterarum genere non latinarum modo, sed etiam graecarum eruditissimum, meque semper a te re ipsa diligi et meos amari sciam, non potui, nisi ingratus esse velim, meam erga te benevolentiam devotionemque scriptis non profiteri. Itaque ad religionem, virtutem, litteras, meritaque tua illud accessit, quod video te dies noctesque solicitari vehementius pro interitione infidelium, in quorum ore et faucibus data tibi ab inclyto Matthia pannonum rege provincia est, quam tua prudentia et cura ab infidelium excursionibus tuerere, eam non laudis cupidus complexus, ut tui indulgeas, sed fide solum et Christi amore ardens maximo animo et summo vitae discrimine arripuisti, remque difficillimam eandemque periculosissimam tuo ductu et auspicio non ab infestationibus inimicorum modo, sed ab omni procul periculi ac perturbationis timore exemisti, conservasque. Sed de laudibus tuis, quas mente jam complexi sumus, si a tanta alendae familiae cura otiosi